

nino rationem cum duobus sacramentis Baptismo et Coena Domini habere, cum sine elemento, ad quod verbum accedat ut fiat sacramentum, simpliciter significet remissionis peccatorum annunciationem, quae tandem, ut firmiter credatur, per utrumque sacramentum subinde confirmatur. Ita poenitentia,  
 5 fides, absolutio, remissio pec-[131:]catorum, ordine doctrinae christianae praecedunt vera sacramenta, quibus confirmantur. Concludimus ergo bonis ac eulentibus rationibus, neque veram neque Papisticam confirmationem<sup>b</sup> esse sacramentum.

#### XV. De sacra unctione.<sup>232</sup>

10 Nihil minus est sacramentum quam haec unctio, siue sacra siue extrema dicatur, quam iterum Ecclesiis Christi repurgatis errore Papistico liber Interim obtrudere conatur. Potest quidem somnare oleum esse elementum Sacramentale, sed dicat ubi sit institutio, ubi verbum et mandatum Christi. Si debet esse verum sacramentum, necesse est ut haec omnia concurrant in sub-  
 15 stantiali sacramenti institutione. Nihil est coniecturis rem agere et inde affirmare unctionem, cuius fit mentio Marci VI,<sup>233</sup> sacramentalem et mysticam fuisse, quo iure possent et umbra Petri<sup>234</sup> et sudarium Pauli,<sup>235</sup> quibus aegroti aequae ac oleo sanabantur, dici sacramentalia. Sed ex epistola Iacobi<sup>236</sup> manifestum est, quomodo locus Marci VI. debeat intelligi, nimirum,  
 20 quod unctio, qua aegroti post orationem ungerentur, fuerit inter reliqua miracula peculiare mandatum, ad ipsos Apostolos tantum, et non ad omnes, nec ut esset Ecclesiae sacramentum, sed ut inter dona sanationum et operationes virtutum ad tempus perduraret. Cum igitur nihil com-[132:]mune habeat cum veris sacramentis, nec primitiua Ecclesia sit usa hac unctione, multo vero mi-  
 25 nus eam pro sacramento habuerit, quasi a Christo instituto, nec audiendus est liber Interim, qui testimonium fratris Domini pro autoritate adducit,<sup>237</sup> nec illi, qui locum Augustini ex secundi libri contra literas Petiliani capite centesimo quarto pro autoritate huius unctionis citant.<sup>238</sup> Ad verbum enim Evangelii debemus habere recursum, si nobis matutina lux oriatur.<sup>239</sup>

<sup>b</sup> rectius: poenitentiam(?)

<sup>232</sup> Vgl. Augsburger Interim XIX, 89–93.

<sup>233</sup> Vgl. Mk 6,13.

<sup>234</sup> Vgl. Act 5,15.

<sup>235</sup> Vgl. Act 19,12.

<sup>236</sup> Vgl. Jak 5,14f.

<sup>237</sup> Vgl. Augsburger Interim XIX, 91.

<sup>238</sup> Vgl. Augustin, Contra Litteras Petiliani II,104, in: PL 43, 341–343 (CSEL 52, 152–155).

<sup>239</sup> Vgl. Jes 58,6–8; Apk 22,16.